



Poemata tua, vir amplissime et nobilissime,
mihi tuo nomine ab ornatissimo juvene Brunone
tradita, ita me T. A. devinxerunt, ut vix inveniam
quo excusem, quod non citius T. A. quas agere par
erat, gratias egerim, nisi quod sciam ejus modi salutatoriam
plenam tibi ~~domestica~~ esse, neque tanti tibi meam vel
vocem esse vel silentium ut ejus ratio haberi
mereatur. Interim ita avide (haud dicam dole) ea
devoravi ut pagina pagina obstare videretur
quominus universum meum desiderium explere possem.
Quod si desultoria fuit tua scriptio, multo magis fuit mea
lectio: ita nunc a fronte, nunc a tergo, nunc in medio
agmine ea aggressus sum. Certe, quod nunquam in
tanta epigrammatum sylva me visurum credideram, ibi
vidi: Martialis acumen, Catulli puritatem et quam neuter
prestat gravitatem. Ad momentum autem sensi mihi
desuetas musas in pectus revocari, cujus rei ecce
specimen habes: nam apophthegma morionis quod est in
pag. 113 totidem versibus non nihil inverti, hoc pacto:

Morion prudentum simulavit spargere sulcos
Semia. quidrenti cur non sereret fatuorum?
Illorum est hæc omnis, ait, plenissima tellus.

B. 2. 885

Jam dices me tibi nimis familiarem esse. id ut
ignoscas, mitto ἀρτίστων, psalmos dathe nicos, psidem a me
interpulatos. Plebeis caractere eos concinnatos videbis, unde
acerissimum tuum judicium reformidant. Sed quia nunc nihil
ἀξιοδωρον ad manus est, boni eos, spero, confules. Vale, vir
amplissime & nobilissime, ꝛc. Altissimi principis ac patriæ
bono diu felix vive

Lugd' Bat' 20 Jan. 1645.

T. A. addictissimus

JACOBUS REVIVS.

Bibl. Nat., ms. latin 1554 de Nouv. acq., fol. 153.